

18 EXCELLENTIA SUBLIMATA

A GEMINIS FACULTATIS EXCELLENTISSIMÆ

Præsidibus totidem velut sideribus

Divis

COSMA & DAMIANO

PURPURATA, ILLUSTRATA,

CÆLO ILLATA

CORAM SENATU POPULOQUE ACADEMICO

Cæsareæ Regiæque Universitatis Carolo-Ferd: Pragensis

Panegyri celebrata.

*In Theinensi Basilica B. V. in Cælos assumptæ Sacra*

Sub Rectoratu

*ADMODUM REVERENDI ac EXIMII PATRIS.*

P. GEORGII CHSINSKY è SOCIETATE JESU ,

Sacro-Sanctæ Theologiae Doctoris , Collegij ejusdem Societatis

ad S. Ignatium Neo - Pragæ , nec non A'ma Universitatis Carolo-Ferd-

nandeæ Pragensis p. t.

RECTORIS MAGNIFICI.

Sub Decanatu

*PRÆNOMINIS, GENEROSI & EXCELLENTISSIMI VIRI*

D. JOANNIS ANTONII CASSINIS DE BUGELLA ,

Philosoph: & Medicinæ Doctoris , in Universitate Carolo - Ferdi-

nandeæ Pragensi Præxeos Medic: Professoris Regij, Publici ac Ordin: Sacra

Cæsareæ Regiæque Majestatis Aulæ Medici , p. t.

S P E C T A B I L I S D E C A N I .

A Prænibili ac Doctissimo Domino IGNATIO JOSEPHO LANGHOFF

Norico Egrensi A A. L L. & Ph: Magistro , Medicinæ Studiolo.

Anno MDCCVI Mens: Decembri Die

---

PRAGÆ , Typis Georgij Labaun.

---

HONORI & VENERATIONI  
ILLUSTRISSIMI AC EXCELLENTISSIMI  
DOMINI DOMINI

ANTONII  
JOANNIS

SACRI ROMANI IMPERII COMITIS

DE

NOSTITZ & RINECK,

Hæreditarij D. in Falckenau, Littmitz, Heineris-  
grün, Tshochau, Graslitz, Jahbel, Nemeslovitz, & Sahr.

SAC: CÆS: REGIÆQUE MAJEST:  
INTIMI ACTUALIS CONSILIARII,

CAMERARII,

Majoris Judiciorum Regni

ASSSESSORIS,  
REGII LOCUMTENTIS,

ET

Supremi in Regno Bohemiæ

MARESCHALLI,

Nec non

S. C. M. Designati Egrensis

B U R G R A V I I ,

Domini, Domini mei ac Patroni gratosissimi.



ILLUSTRISSIME  
Ac  
EXCELLENTISSIME  
DOMINE DOMINE  
C O M E S.



Ublimata Excellentia, Divis Medica Tute-  
laribus COSMÆ & DAMIANO vulgatura  
panegyrim, alÿs Sub auspiciÿs in lucem  
prodire nec debuit, nec voluit, quām Tuis,  
ILLUSTRISSIME ac EXCELLENTISSIME  
DOMINE DOMINE COMES, quem subli-  
mata Excellentia fastigium adorat Excel-  
lentior mundi portio, Europaus orbis. Tuis devota nutibus  
accidua m se Concinna à me Medices subfternit Excellentia,  
ut, dum sublimem Excellentissimi Nominis virtutumque Tua-  
rum Claritatem suspicit attonita, ab hac Excellentia Tuæ Subli-  
mitate Sublimata, à Nominis virtutumque splendore dici gau-  
deat illustrata: Purpurata jam inde, quod sub Illustrissimos  
obtutus ventura Tuos ruboris purpurissimum in femet reverbe-  
ret tenuis pagella. Nolim aut avitam Majorum Pietatem,  
aut heroas Proavorum Animas Excellentissime Sublimitatis  
Tua adstruere monumenta, cui quām sublimè evecta, tam do-  
mesticæ est Excellentia, ut injurium Nominis & Splendoris Tuæ  
Theonem censere audeas, qui vetusta Majorum merita Clari-  
tate




tati & Excellentie Tua bases sub sternat aut fulcra, qua proprijs  
eluctatur ad Summa. Sublimatam namque in Te inclita Bo-  
hemie Tripolis Suspexit Excellentiam, cum Regni Procerem ha-  
babere meruit & adamavit. Sublimatam suspexit SVECIA  
cum Sac; Gaf. Reg: Maj: Legatum reverita adoravit. Subli-  
matam suspexit Noricum, cum debitò Submissionis homagiō  
Burgravium Egra salutavit. Sublimatam deniq; suspexit  
Leo Boëmicus, cum nuperrimè in Supremum Regni Mareschal-  
lum in Te enectam venera bundus coluit Excellentiam. Atque  
huic tuo meritorum honorumq; fastigio jam tum pralussisse for-  
tuna videri poterat, dum Gentilitio clypeo nati ad spes Subli-  
mes animi tesseram, Alam insculpsit & Anchorā, Alam Subli-  
mitatis Tuae, Anchoram uti Excellentissime gloria prodromam,  
itā publice & felicitatis prognosticam, quā in sublimi positus boni  
salutem publici nutantem sape firmasti & firmas in Salo, tu-  
tam locasti & locas in Salvo. Admittes proinde COME EX-  
CELLENTISSIME, ut, quam patriæ toties in columitati serva-  
tricem porrexisti Anchoram, Sublimata Excellentia mea in ar-  
gumentum sibi sumat fiducia: quō Tu is unā mecum devota ob-  
sequijs Excellentissimā Sublimitatem Tuam umbra revere-  
atur pedissequa, & multorum Seculorum Serie, & gloriā gravi,  
inter sidera Sublimanda Excellentie Tuae hoc quoque demum  
Olor Gentilitius accinat elogio: Etiam Sublimatam Excellen-  
tiā ad pedes Tua procubuisse Excellentia

itā vovet

## ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Devotissimus & Clientum minimus

IGNATIUS JOSEPHUS LANGHOFF,



## ORATIO.

Xcellentia Sublimata. Rideat Etymologus! Sublimem attollere, excellenter Sublimare, Antipater sit, qui Græcæ fidei tropum non videat hyperbolæ! Medicina artium præstantissima, scientiarum maxima est Hippocrati; quam vel indè indigitatam legas Excellentissimam, ut ipso nomenclaturæ ab etymo nativæ Celsitudinis capias documentum. Nanus nisi Nanum quid bajulet? Metuo myricas interreptanti svadæ, cui Facultatis Excellentissimæ, facultatum Excellentia, Sublimitas dictionis est argumentum. Malè lappatæ eloquentiæ paludatur centone, cui Tyrus muricem in cunas substravit porphyrogenitæ (a) Fecit etiam Rex Salomon Thronum. Stupeat magnificientia portentum! Stat mole suâ sublime fastigium, fastuosa moles, in qua lepore ars, natura pretiô ita luctantur utrinque, ut, palmam vicitrii qui afferat, vix Paridem reperias. Hinc eburneis elephantorum nivibus pallescit ad gratiam, indè auri fulgoribus radiat ad pompam; & nè ad splendoris plenitudinem deesse quid possit, bis seni animantium reguli Thronum concendentis allambunt Majestatis, Vulgarè non novit sessorem Thronus Spientia! Capio Mysterium! Salomon Sapientum Rex magnum Regum Nomen &

(a) 1. Reg. 10,



Numen, dum præ divitijs aut hostium Subjugatorum  
triumphis diligit sapientiam, (b) Veniunt omnia bona  
pariter cum illa. Discat insipiens orbis, etiam divitum  
potentiam Sapientiæ famulari pedissequam. Et en!  
jam Salomon disputat (c) à Cedro, quæ est in libano  
usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete. Sapi-  
ens profectò Medicus! qui dum naturam hyssopi &  
Cedri discutit, in sublimem sapientiæ Thronum medi-  
cam evehit, cui hyssopum & Cedrum, myrtum & Cypa-  
rissum, laurum & oleam discernere, dotes discriminare  
tam unipropterum, ut propè individuum. Et quid mi-  
rum? Si etiam Imperij Diademata, Regum Coronas,  
Regnantium Sceptra & trabeas hæc Excellentia sibi jaet  
domestica & habet namque Archiatros suos Constantinos  
quartos orientis, Arabum Evaces, Illyriorum Gentios,  
Mauritanicæ Jubas, Ponti Mithridates, Scotiæ Reuthas,  
quot Regales Vettices, tot evectæ in solium Medicæ ba-  
ses, quot Coronata Capita, tot sublimata Excellentia  
fulcra. Non tamen Augustos hos inter limites gloriæ  
arctatur celsitudo. Pulchra origo! Cælō delabitur altō!  
dicam, quod res est: Medicina & Deorum progenies, &  
Superūm est Genittix. Indè Isidem Ægyptij, Mer-  
curium Latij. Apollinem Græci, primos artis Medicæ in-  
ventores dum jaçitant, illustria cælorum incunabula Me-  
dicinæ designant. Nechodiedum cum Chironibus Æscu-  
lapij stellata astrorum habitarent atria, nî medendi peri-  
cia Divorum in Consortium referasset adyta. Pegasum di-  
ceres, qui quot purpuratos inseffores, tot sideribus ( citra  
ruinam ) invehat Bellerophontes, lemma subscriptente  
Poëta (d) Secernit populo & Dijs miscet superbis. Ve-  
rūm ultrà fabularum fucum tædet aspergere candori  
Veri-

(b) Sap: 7, (c) 3 Reg: 4,

Veritatis. Pictoriæ rudimenta umbra docuit Magistra.  
 Rude Magisterium ! Non eget Cleanthe lucis bajula.  
 Tecum mihi res est luminosa sapientiæ Filia , Facultas  
 Excellentissima, quædum inquilina alis Excellentiæ tuæ  
 sidera, frustra ascitios splendoris radios à Comentorum  
 præstolaris obscuris. Sunt enim irum & tibi Chirones  
 tui, sed sine fabula , sunt Cælestes sine figmento Æscu-  
 lapij , divi videlicet COSMAS & DAMIANUS ; qui eò  
 sublimius tuam astra inter extollunt Excellentiam , quò  
 sublimiora inter cælites gloriæ scandunt subfellia divini  
 Medici. Hi illi cui sunt purpurati Præsides à quibus lu-  
 cem haurire sive visti & purpuram : Bis purpurata, quæ ad  
 invidiam Romanae pompa etiam in Martyrum sanguine  
 pricaris purpuras. Bis illustrata & à nativo sapientiæ  
 fulgore & à subvectorum inter Sidera divisorum tuorum  
 sanctitatis & gloriæ splendore luminosa. Quod dum ul-  
 tra dicere Meditor, Tuâ Rector Magnifice, Vestrâ Specta-  
 biles Decani, Eximij, Clariſimi, Excellentissimi, Docti-  
 ſimique Professores, benevolâ patientiâ dicentem su-  
 stentate, & humilis diſtioniſ facundiā patienti benevo-  
 lentiâ sublimate.

Per minima ad maxima, ad Summa per infima trames  
 Virtutis est & Sapientiæ. A parvulis Thetidis ocellis Eu-  
 phrates distillant & Eridani, etiam submersuri prætorias,  
 hausturi Phætontes. A minuto radicis surculo annosæ  
 quercus eluctantur ad Sidera, etiam Reginæ volucrum  
 futuræ palatia. A tenui frutice immortales exurgunt  
 Cedri , etiam frondosos Vertices nubibus inserturæ.  
 Pusilla vallium abdita Cælo minitantes protrudunt  
 Olympos, vel Titanibus in accessos ; ità universum  
 moderante naturâ, ut è rivulo Eridani, è radice cedri ,

)(

è val-

è vallium minimis maximi gigantescant Caucasi  
 Roma terrarum Domina, Orbis urbs, Urbium He-  
 lena, cuius fasces sceptra adorabant regia, cui Bellona  
 Victoriam, Fortuna vestigalem substravit rotam, in tu-  
 gurio ab ubere lupino pendula in Conditor e recepta suo,  
 è turguriolo in mundi excrescit Imperium. Quantilla !  
 quanta ! quam angusta ! quam augusta ! ut minima, tam  
 maxima. Balbutiant jam nunc litterario Palladis in ru-  
 dimento puerascentes Tullij, maturam, olim facundiam  
 obstupefcent, nec æquabunt secula vix latia amplius  
 inaudient rostra. Sed quid ego ? etiamne inter fascias  
 parvula, inter prætextas adolescentula maturescat Excel-  
 lenta è erras ! immaturas vix norunt cunas Natales gi-  
 gentei ; fasciæ non capiunt Hercules, qui pusillo etiam-  
 num in corpore Heroum fastis præludunt & fascibus  
 Colobrorum domitores. Spectabis tenella inter mem-  
 brorum ergastula in purpuratis Præsidibus suis, divis  
 COSMA & DAMIANO , adhuc dum pubescentem &  
 jam Cælo matrarentem obstupefces Excellentiam. Vix  
 cunaru[m] nexibus puellos exemit Mater , vix primulam  
 rationis luculam succedit ætas, jam orbis in orchesram  
 bini prorumpunt scenici, scenam Cælo & Mundo daturi  
 amænissimam, Magistrâ Therdorâ Matre, quæ simul in-  
 fantiæ crepundijs exuit, simul pulcherrimâ Virtutum  
 polymitâ natos induit, in Angelos personavit, etiam Cæ-  
 lites in innocentia spectaculum provocaturos. Radiat  
 binis oculorum in facibus insons modestia ; Liliat in  
 frontis ebore niveus puritatis Candor ; purpurat labio-  
 rum in Corallijs roseus verecundia pudor ; tota in pur-  
 pureo-candidas decurrir genas virtutum Charis, mentes  
 in amorem (etiam in invidiam, succendi si possent) sus-  
 censura superas, dum ut sibi naturâ disparas, ita innocen-  
 tiâ



tiā pares, in Carne tūtentur humanos Angelos. Quāris,  
quiſ eorum Virtute Excellentior ē Geminum in geminis  
quāres, unum reperies, duos cernes nec COSMAS uter,  
uter DAMIANUS, ſi Argus ſis, diſcernes. Naturam errāſſe  
diceres, quā bino in corpore unum reclusit Virtutis  
ectypon, unum factura in unico, niſi fors jam tunc gemi-  
num Excellentis Sanctitatis, Sanctaſque Excellentia  
meditaretur Coloſſum. Nē verò fraterna hæc in ſcazon-  
tem claudicaret ſimilitudo, quos Virtus pares effecit &  
innocentia, diſparē non obliquavit Scientia, virtutis &  
Comes & pedisſequa; quandoquidem caſtō bene jun-  
guntur fædere Pallas & Pietas, Sorores Partheniæ, caſta-  
rum frugum virgineæ matres. Pandantur ſcholæ in  
palaſtram, ludus explicetur in arenam, quibus Minervæ  
pugiles ad uſque decertent ealamō, prælusuri prælio, quō  
olim pro Christo cum Lysia decertabunt & ferrō. Exe-  
rant nunc litterarij, quod à Theodora Christiani didicere  
Grammatici, declinare malum, & eligere bonum: Tu-  
demum Poëſis ſacræ divini Vates, Cælicà condecorandi  
& laureâ, cùm gentilis Tyrannidis fulmina detonabunt  
in iſiocentes. Et en! jā mansuetioris literaturæ emensi ſta-  
diū & ſciendi avido ore, Muſarum ad livorem, potat  
Aganippen, Palladi caput consecrant ſeveriori; dūmque  
traditum diſputationibus mundum contemplantur, ſi-  
mul obeundam pro Christo mortem Christiani medi-  
tantur Philofophi, quandoquidem mortis meditatio est  
Philosophia. Jāmq; chartis Superexpalleſcentes Mc-  
dici ſudant, algent, & è floridis Hippocratis Galenivè  
herbarum Elysijs mella legent laborioſæ apiculæ ut pro-  
ſint; niſquam negotioſi magis, quām eruditio hoc in  
otio, ubi opus moliuntur, non peregrino uni profuturum  
Jerichuntino. Purpurent ergo lacerti, paupertinum  
egro-

ægrotorum orbem sustentaturi ; rubescant ostrō Verti-  
 ces, Christianæ Medicinæ futuri Capita purpurata. Et  
 quid, Audirores Spectatissimi , tanta similitudo colo-  
 rum, morum, mater amorum, in COSMA & DAMIANO  
 peperisse poterat aliud, quam quod solet ? Eam videlicet  
 dilectionem mutuam, quam non tam alter alterū, quam Se-  
 met in altero ampliteretur uterque , germanæ medulla  
 fraternitatis. Habe ergo jam tuos. Megacosmi & fictrix  
 & piætrix Pœsis Protea , Pirithoos cum Theseis, Achilles  
 cum Patroclis, Niloscum Evryalis, non invideo : Geminos  
 contuvor, (e) duo corpora uno Spiritu habitata non con-  
 templor. Unum in COSMA DAMIANUM, in DAMIANO  
 COSMAM demiror , qui raram fratrum Concordiam ,  
 dum cortambellè concordarunt in unicūn , dormien-  
 tem è pulvere vel Concentum Platonicum , vel Pytha-  
 goræ lyram, in cælo dignam reanimarunt harmoniam.  
 Verùm ! indignor amoris angustiæ, si duorum Achatum  
 arctatur Cancellis (f) Ex infinita Societate generis hu-  
 mani, ità concreta res est & adducta in angustum , ut  
 omnis Charitas aut inter duos, aut inter paucos jungatur,  
 Oratorum Principis est oraculum. Falieris fallacis amo-  
 ris limes hypocrisy ! ardentí Divorum nostrorum Cha-  
 ritati limitem non scribit Cosmarchia. Amor hic, quem  
 in cordis utriusque Vesuvio Divinitas succendit, quem  
 Virtus nutrit, flamma est, fratris unum non sufficit  
 pabulum. Non unum COSMÆ DAMIANUM tenerò  
 amoris complexu strinxisse satis est, dum mundos etiam  
 totos suò unius corde circumscribit uterque. Erumpant  
 ergo amoris faces, si quas divinior Aetna Archiatrorū exco-  
 xit sub pectore. (g) paulum sepulta distat inertiae celata  
 Virtus. Et ô Charitatis excessum ! Jam pauperum tu-  
 guria,

(e) Nicetas in vita (f) Cicero in Lælio. (g) Horat lib: 4. ods: 4.



guria, cum tugurijs nosocomia, cum nosocomijs etiam  
putida ægrotorum cadavera tam flagrantis Charitatis  
abeunt in alimenta: Una tam divino incendio non suffi-  
cit Ægæa, tota amoris in palæstram vertitur Arabia. In  
quamcunque domum ingressus fuero, ad ægrotantium  
salutem ingrediar. Digna Hippocrate gnoma, digna In-  
digetum nostrorum tessera! fortiusnè, putas, dixerint,  
quām egerint? nè probrum appinge! etiam in accessa  
morborum abdita, etiam radicata malorum aconita, quæ  
vel omnem lusere Ægeæ pharmaceuticam, vel totam  
Arabiæ exhausere panaceam, Medicorum Cælestium,  
**COSMÆ & DAMIANI** thaumaturgam non fefelleré  
potentiam: unô Crucis signaculô fugantur vel Medicæ  
formidanda, ægritudinum monstra. Nec tamen pre-  
tiosis Medicorum horum laboribus Galenus opes pepe-  
rit, quas pridem, Antiquitatis ad ruborem spernere Phi-  
losophia docuit Anargyros, quibus sola pondus & pretium  
esse poterat Charitas. Deveneror Sublimatum Excellen-  
tiæ ostrum, quod purpuratus rubore ut fecit, eminere  
effecit, qui omnia vincit amor. O Amor! si ignis es, nō runt  
Hellesponti litora, quām inter medios febrilium ardo-  
rum æstus exarseris amplius! O amor! si flamma es, no-  
vit Corinthus, quot carbunculis inter medias contagio-  
num umbras effulseris clarius! Et verò: augere flam-  
mam, non sistere, ardorem acuere, non restingvere va-  
luit tot procurata langventibus Sanitas. Exiguum vi-  
deripoterat, corpora animâsse ad vitam, nisi facem simul  
menti præferret ad salutem ignitus amor. Unde qui  
Archiatrum, idem induit & Prometheum, ut exami-  
mem, gentilitatis adhuc dum in chao sepultam Ægæa in  
faciem veræ fidei inspergeret faculam, inhalaret ani-  
mam, Testor Arabiæ sinus, Vicos, Urbes & Regna, quæ  
coties



toties in sementis Evangelicæ abiēre Campos, quoties  
speciosos (h) pacem Evangelizantium COSMÆ & DA-  
MIANI basiārunt pedes, à quibus calcari merurere, &  
fæcundari. Testor tot eversa fana, proturbata aris idola  
inversam Ægææ perversitatem! testor cum incolis, acco-  
las, cum civibus advenas! qui quantūm Cælestibus hisâ  
Medicis pharmaceutices medicamina, tantum ab Apo-  
stolis vitæ melioris hausere exordia. Stupeo, nec Capio  
amoris vehementiam, quæ ipsum adeò Syllabum everte-  
re ausa Apostolicum, bis seno Apostolorum numero ad-  
huc inserit geminos, Arabiæ tam Apostolos, quâm Me-  
dicos. Tam vile nempe fuerat Excellentiæ, purpurata  
subijsse rostra, nî & Apostolica quoque scanderet sub-  
sellia, & duplam se in una compendiaret sublimitatem.  
Non poterat tantum virtutis & sapientiæ jubar, tanta  
zelosæ Charitatis lux oculos non perstringere idoloma-  
niæ cimmerijs innutriti bubonis Lysiæ; Catulum dicas  
Leænæ Lybicæ, quem barbaro efferatæ gentilitatis in-  
antro vel ad horrorem immanitas, vel ad furorem Com-  
pilavit Crudelitas. (i) Sicula Polyphemus in Ætna qua-  
lis agit, nî solus huic in fronte micaret, illi oculus duplex.  
Proh! quâm metuo tuæ Excellentia purpuræ, si hunc  
in rabiem efferaverit taurum. Jamque ferali initium da-  
turus tragædia infamis scenicus, undas & flamas, silices  
& spicula, Cruces & enses apparat, fatali scenæ hoc præ-  
lustrus spectaculô. Nec tot contra carneas gigantum  
moles fulmina Jovi sua cudit Vulcania, quot in innocen-  
tes Lysias procudit exitia. Hêu fuge crudeles terras ò  
Excellentia! quâm Vereor, nèad superna eluctantem ni-  
miùm in ima deprimat tam densus furiarum Cataclys-  
mus. Verum, fortior est inermis virtus, quâm armata  
impi.

(h) ad Rom: 10. (i) Cotur: in Spelt: Her: Spelt: 6.



impietas. Vaticinor, Lysia abibis in lidium, pretium probatae affusurus Virtuti, non adulteraturus. Magis animo heroa Excellentia! Sinè bello non stat Victoria, nec domesticos inter parietes laurus frondescit, in arenam descendit: Intelligent sœula, nobiles sapientiæ & Sanctimoniam Charakteres, quibus patiendo dura, agendo fortia, æternitatis fastis tua transcribis nomina. Ergo ut belli alea felicior cadat Tyranno, mutuatò ab amore telò, intrepida sauciare nititur geminorum Christi pugilium pectora sub pietatis cortice personata impietas. Hinc honorum fastigia, hinc opum gazophilacia, hinc illecebrrarum blandimenta, hinc favorum Lenocinia unde pugnam ordiuntur impetu. Hem quanri Achilles! nisi unà suos reperirent Parides. Amoris facem vulpes præfert (k) Samsonia, sed ut incineret; aurata mellis pocula (l) Circe propinat benefica, sed ut in fatuet. Ridet, ut irretiat, mulcet ut perdat, religionis facem ad aras gentilitatis traducem ventilat, ut lucis filios tenebroso idololatriæ imperio mancipet vestigales, vafrum bländientis Tyrannidis ingenium. Quid ad hæc generosa Martyrum mens! putatio cesserit incantanti? Absit Excellentiæ convitum. Marpesiam quatiant non concutiunt imbelles fluctus. Lysias svadet, nil persvadet, perorat, nil exorat, ad fidei cautes elingvis Orator. Vicisti Excellentia! & eò glorioius, quô fallacis amoris prælium pugnasti fortius. Scilicet incantatricem excantare Syrenulam plus Orpheo, quam montium rupes animare in pergama. Et vero irritæ Lysia blanditiæ in furias irritantur, quosque blandiendo nequiverat, minitando subvertere nititur Agonothetas. Minatur, furit, astutat, tonat & fulminat; Sed victoriosam laurum bruta non

(C)

ter-

terrent fulmina exerrantis furoris. Quid ages emascu-  
 late latro? elumbis parricida Lysia? in carcerem CO-  
 MAM & DAMIANUM compinges? bene est: Inter tene-  
 brosa noctis obscura sidera splendescunt magis. In mare  
 demerges? è profundo maris gremio, gemmas piscabun-  
 tur & conchilia, quibus suam Martyrij Excellentiam  
 appetient amplius. In ignes infites? Aurum sublimant,  
 non obscurant cibani, adamanti non officit Vulcania.  
 In Cruces suffiges? & vel sic hoc magis sublimabis Excel-  
 lentiam, quò proprietem effeceris summo, qui in Crucis  
 adoratur tropheo. Plue per me licet, telorum gran-  
 dines, grandina lapideos imbræ, his quoq; velut py-  
 tropis pretiosiores reddes Victorum coronas. Sangvi-  
 nem funde & profunde, etiam per hæc rubri maris vesti-  
 gia detriumphabere Pharao. Sed en! undis innatantes  
 jam video & fluctibus colluctantes contuor Lysiae Tri-  
 umphatores. In video Ægæo mari, quod uniones hos  
 tulit geminos, quibus pretiosiores tulit nusquam, nec  
 laturus sit Oriens nec Occidens gemmifer. O! quam Cæ-  
 lestes hi Tyndaridæ in Ægæo Helleponi effulserint nitidius,  
 quam in sigæo olim Trojæ promontorio gemelli.  
 Natant ergo & enatant; merguntur nec demerguntur,  
 & elementum fluidum in solidum tabulatur miraculo-  
 rum theatrum, orbi in documentum: nec molaribus in  
 profundum demergendam Excellentiam, ad sublimia  
 natam. Dùmq; incolumes litori reponit unda, ab aquis  
 ad flamas properat, quæ medium nescit, Lysiae furen-  
 tis insania. Et ô portentum! lædi nescia, speciosioreque  
 igne succensa Martyrum pectora flamas jaculantur è  
 cibano in circumstantes mortis victimas, vel sic cæcu-  
 tienti gentilitati fidei facem injecturi prodigiosi Heros-  
 strati. Non tamen lucem aut caput, aut videt in silicem  
 obdu-



obdurata Lysia cæcitas. Perge itaque cæcutiens latro,  
& de devicta quoque gigomantia barbarie, fac pæana ut  
canant Excellentissimi Neptuni Vulcaniq; domitores.  
Nec mora: volant silicum acervi in pendulorum è cruci-  
bus Prophyro-Martyrum corpora, qui portentosò thau-  
mate in caput recidunt jacientis vulgi. Nimirum nec  
Ætnas superter, nec Caucaso cum Titanibus gemerent Typ-  
hœci, nî inconsulta in Divos movissent saxa, siderati lapida-  
tores. O Victoriosa Excellentia! Post tot devicta furo-  
ris laniamenta, quiduspiam vincendum restabit Tyrannidis? longævi supplicij hæc finalis Conclusio. Stringi-  
tur, olim justitiae nunc iniquitatis ministra romphæa,  
Lysia crudelitati Catastrophen, Martyrij Trophæo impo-  
situra Corodinæ. Subduntur ferro cervices eburneæ, & fu-  
riarum æstum ut restingvat sanguine, immortalitate digna  
capita ense demetit sanguisuga Tyrannus. Jacent exa-  
nimes COSMAS & DAMIANUS & hac ut rubræ, tam  
lacteæ, quia innocuæ, Heroum galaxeâ tintas cruento  
animas cælo transcribunt purpuratas Victimæ. Huc  
ades jam Excellentissima Facultas Medica, & in hoc pro-  
fuso Tutelarium tuorum ostro pricare epomidem; ha-  
bes muricem, quali nec Tyrus in conchiliis, nec suis  
Roma vel fastu fastis digna, unquam superbijt in triumphis.  
Hoc enim vero est fastuosi mundi ad nauseam pur-  
purari, rubere Excellentiam. Huic et ego dictioris meæ  
epilogum lubens immergerem purpuræ, ut vel sic in-  
formi facundiæ meæ appingerem stibium; nisi sublima-  
ta in divis Præsidibus suis excellentia, inter sidera iam  
relata, revocaret ad sublimiora. Indignor antiquitati,  
quæ dum astris stellea insculpsit monstra, universi deli-  
cium propè vertit in Augiæ stabulum, nisi & qui verrat,  
adijceret Herculem Chiron, hominis brutale monstrum,

Mag.



Magister Aesculapij, dum virulentâ sagittâ saucius, semet curare nescius, mortem præ immortalitate elegit, Deorum commiseratione cælum obtinuit. Dignus profectò commiseratione Medicus, qui se ipsum curare nescivit. Cedo palmam, propudosum Medices monstrum, dum vera suppetunt cælo Medico sidera, à quibus suam lucem Excellentia, salutem hauriat ægrotus orbis. Cede cælo, monstrorum Excellentiae propodium Chiron; dum (m) clarissima mundi sidera, lucernas miraculorum radijs emicantes, luces divinitus coruscantes, Spectabile denique astrorum par in COSMA & DAMIANO. Græca Cælis suffigit Ecclesia. Et tam nobile astrorum par aliud esse quod posset? quam bina hæc Medicinæ Sidera sinè monstris Chirones, Aesculapij sinè fabula. Nec plus ultræ. Ad Summum jam ascendisti, cùm in Præsidibus tuis astra concendi Excellentiae Sublimitas, Divorum Indygetum tuorum Sangvine purpurata, Virtute illustrata, Gloriæ esedō Cælo illata. Et hic tot Triumphis dicendi Facultas succumbit & Trophæis, quibus de aquis & flammis, de crucibus & ensibus, de ipsis adeo Sideribus Triumphasti. Illud nunc tibi ultimum Victrix Excellentia, gloria accedit Minutal, quod post devicta omnia, etiam de mea Oratoris penna & lingua triumpharis, qui de Sublimitate tua non ut debui sed ut potui.

(m) Menaa græc: i Jul: Cr: Nov.

## D I X I

